

Nunquam Baruchi Opus Hebraicè scriptum defendit Grotius Prefat. in Baruch; quare digestum credit à Judæo quodam, ut se in Græcâ linguâ exerceret. Porro Author Operis, ait Grotius, narrat, Baruchum anno quinto transmigrations Jechoniæ Babylonem missum fuisse; quod recentior aliquis animadvertens, ratusque Baruchum nunquam re ipsa venisse Babylonem ante postremam captivitatem sub Sedecia, quædam in Textu adjecit, nullâ ceteris connexionem coherentia. Addit autem Grotius, post ea tempora Christianos Amanuenses è suo quædam pariter addidisse.

Debit planè Grotius singularis opinionis suæ conjecturas proferre. Sed ille rem tantum asseruisse contentus est, affirmans verbum 2. cap. 1. ubi de Jerusalem incendio absumptâ sermo, additamentum esse secundi illius Authoris, seu potius ejus, qui epistolam recensuit; non enim, ait, nisi sub Sedecia Urbs illa incendio vastata est. Observat pariter ver. 38. cap. 3. ubi post datam Jacob Legem à Deo, factum legitur ut Deus ipse, *Post hæc in terris*

visus sit, & eum hominibus conversatus sit; observat, inquam, verba illa Christianum Authorem exprimere. Afferit tandem, epistolæ Authorem multa è Daniele in Oratione, quam recitat capp. 1. & 2. decerpisse.

Hæc Grotii objectionibus reponere in Commentario conati sumus. Quod oratio Baruchi simile quid cum altera Daniæli præferat, alteram ab altera derivari non probat; communes erant enim orandi formulæ apud Judæos. Incendium Jerosolymæ sub Jechonia speciem fuit tantum illius vastationis, quæ deinde sub Sedecia Urbem totam absumpsit. Quem tandem à Christiano quodam adjectum locum Grotius autumavit, parallelum esse credimus alteri sententiæ in Prover. 8. 30. 31. & Ecclesiastico 24. 13. 14. ubi legitur, Sapientiam, sedem suam in Israele fixisse, quippe quæ suas habeat delicias inter filios hominum; ac tandem respondet alteri Sap. 9. 10. 11. ubi Salomon mitti sibi à Deo postulat Sapientiam, opem & consilium præstituram. Quis omnia simul hæc loca suppositionis arguat?

IN EZECHIELEM PROLEGOMENON.

Ezechiel, filius Buzi, è Sacerdotali genere (a) Sarera, oriundus [b], unâ cum Jechonia Rege Juda captivus translatus est Babylonem. Quo tempore solum vertere coactus est, prophetiæ munus nondum iniverrat; missum enim à Nabuchodonosore in Mesopotamiam primò Dei Spiritus afflavit, quo tempore annum agebat ætatis 30. (c), seu potius post trigésimum annum ab inito cum Deo foedere Judæorum sub Josia [d]. Quinque jam annos egerat in captivitate, susceptumque munus integrâ 20. annorum periodo absolvit, nempe ab A. M. 3409. usque ad 3430. decimo quarto ab everfione Jerosolymæ (e). Totus est insolanis fratribus suis unâ captivis, quos de præfata præcoci credulitate, ut ipsi quidem rebantur, suasionibus Jeremiæ, ut se citius dederent Chaldæis, metu instantis everfionis Jerusalem, animi egrotando, & moeror oppresserat. Cum enim nihil prospicerent quod fidem oraculis Prophetæ conciliaturum videretur, Ezechiel confirmandis in fide animis, novisque oraculis veteribus, quæ jam fuderat Jeremiæ, & tunc etiam edebat in Judæa, confirmandis à Deo suscitatus est. Autumat S. Hieronymus in Ezechielem 12. utriusque hujus Prophetæ Ezechielis & Jeremiæ Oracula vicissim transmissa, hujus videlicet Jerosolymam, illius verò in Chaldæam, quod eorum consensu fides Ju-

dæorum simul & religio magis magisque confirmaretur.

Cum vehementius pro extirpanda idololatria instaret, neci traditus fuit à Principibus Populi (f); corpus sepulture traditum ferunt in eodem specu ad Euphratem, in quo olim conditi Semus & Arphaxad. Monstrant hodie usque ejus sepulchrum ad Euphratem in loco 15. leucis à Bagdad; quod retro situm esse post Synagogam Judæorum inter Euphratem, & Chaboram ornatumque sciti operis fornice à Jechonia Rege, è carcere, Evilmerodachi Regis Chaldæe beneficio, educti Benjamin Tudelensis asseruit. Summâ olim religione & frequentia locus colebatur, neque enim tantum confluebant Principes captivitatis, qui annum obsequium, non sine ingenti satellitii pompâ, viro sancto exhibituri veniebant; sed etiam ejusdem religionis æmulatio Persas, Medos, ceterosque populos tenuit. Accedebat lampas, perpetuo lumine Judæorum sumptibus ardens. Autographum ejusdem Prophetæ servare se in Bibliotheca, in loco supra tumulum instructâ, jactitabant Hebræi, quem Librum singulis annis statâ die Expiationis solemniter coram frequenti populo læsitabant. Sed Hebræis hæc asserentibus quis credat?

Quæ Ezechielis nomine inscripta sunt Opera, hæc sine controversia Prophetæ genuina, nihil ad veritatem, & auctoritatem reliquum faciunt. An verò omnia ejus viri scripta supersint, in medio res est.

g *Antiq. l. 10. c. 6.* est. Josephus (g) duos ab illo scriptos de captivitate Libros memorat. Superfunt quidem plura ejus Prophetæ capita de hoc argumento; sed universum ejus Opus in duos libros distributum fuisse, ne vestigium quidem ullum deprehendimus.

Narrat alibi idem Josephus (h), Ezechielem, & Templi everfionem, & nunquam visurum Babylonem Sedeciam vaticinatum, suum hoc oraculum Jerosolymam misisse. Hujus rei nullum superest vestigium in Scriptis Ezechielis. Ita pariter Epistolam ad Regem Juda ejus argumenti ab eo datam interisse credimus. Pseudo-Athanasius in Synopsi autumat, gemina illa volumina, à Propheta scripta, penitus interisse. Et recentior alius Author temeritate suâ & opinionum suscepit, scripta illa Ezechielis nomine ad nos transmissa, fragmentum esse alterius amplissimi Operis; cuius rei argumentum ducit ab exordio primi capituli ita planè concepto: *Et factum est in trigésimo anno;* neque enim conjunctio *Et* exordium est Libri, sed potius partium connexio; sicut nunquam factum scimus, ut in primo Operis vestibulo certus quidam annus designetur, ne indicatâ quidem epochâ, unde supputatio illa ducatur. Observat insuper in eam rem illud capituli 1. 2. *Factum est verbum Domini (nempe factum frequentius) ad Ezechielem Filium Buzi.*

Nihil planè moramur fieri potuisse, ut Ezechiel plus aliquid scripserit, quam nostrâ ætate supersit; sed nihil pariter huic Scriptoris opinioni deferendum temere censemus. 1. Potuit opus Ezechielis in duas partes Josephi ætate distribui, quarum prima 39. priora capita contineret; secunda 9. postrema, quibus de restitutione Urbis, & Templi agitur. Author verò Synopsi auctoritate Josephi præposterè acceptâ fretus, autumavit scriptum ab Ezechiele alterum, quàm quod supersisset, opus, quod deinde intercidisse sibi persuasit. 2. Ezechiel everfionis Jerusalem, & Templi vaticinium (k) in Judæam transmississe facile potuit; neque tamen Josephus unquam testatus est, missum à Propheta Jerosolymam integrum opus, in quo nunquam visurus Babylonem Sedecias legeretur. Facile enim seu vivâ tantum voce dedit hoc de Sedecia oraculum, vel epistolæ privatæ commissit, nunquam in canone oraculorum ipsius cooptatâ; 3. Si conjunctio in fronte libri occurrens de integritate operis decessisse aliquid certo quodam argumento demonstraret, eadem statim sententia ferenda esset de Libris Josue, Judicum, Jone, primo Macchabæorum, aliisque nonnullis, statimque amplioris operis veluti fragmenta quædam habere illos oporteret, quod sanè temeritatis esset non ferendæ. 4. Trigésimus annus in fronte operis inscriptus, quo potissimum referendus sit, prorsus quidem nos latet; ætate verò quidem Prophetæ res erat exploratissima. An ideo invidia in Librum crearetur, quòd aliqua contineat nobis prorsus ignota? Idem prorsus negotium posteritati fiet in nostris Ep-

chis evolvendis, quod nobis in veterum chronologia nos tenet sollicitos. 5. Dominum sæpè aliàs Ezechiel locutum, nunquam legitur in Textu; quin potius verba illa: *Factum est verbum Domini ad Ezechielem,* hoc primitus verbum Prophetæ factum demonstrant.

Tradunt Judæi, Ezechielem famulatio Jeremiæ adstridum fuisse, & diu anceps hæsisse Sanhedrin, num ejus Librum in canonem Scripturarum reciperent. Invisum enim habebant Prophetam, quòd obscuritatem præ cæteris affectare, & Moyfi contraria plurima tradere videretur. Porro exordium, & finis ejusdem Prophetæ eâ obscuritatis caligine obvolvuntur, ut verbis simul, recentioribusque Interpretibus crucem figat. Ejus lectio ante trigésimum ætatis annum Synagogæ decreto interdiceretur (l). Hæc Prophetæ 18. 2. 20. sententia: *Filius non portabit iniquitatem Patris sui,* repugnare videtur Moyfi illi Exod. 34. 7. *Qui reddes iniquitatem Patrum Filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam generationem (*).* Quædam innovasse Prophetam videtur in præscribendis sacrificiis, post regressum à captivitate offerendis, ut in Commentario animaveremus. Levius etiam discrimen apparet in dimensionibus Templi Ezechielis, & Salomonis, uti cum de Altari Holocaustorum, & amplitudine conclavium ad latera Templi agitur.

Nonne verò unus Deus, qui olim per Moysen, idem etiam per Ezechielem loquutus est? An autem Deo lex ulla præscripserit, ne immutare quidquam, abrogare, & suppressere de legibus cæremonialibus audeat? Si docuisse aliquid superstitiosum, & erroneum Ezechiel argueretur; si auctoritate suâ licentiam, idololatriam, scelera promoveret, his sanè documentis apochryphum librum credere juberemur. Nunc verò contraria omnia; quid enim reliqui esse potuit ad sanctimoniam, quàm morum regulæ ab illo præscriptæ, quis illo fortius in crimina invehitur, quis aperiore vaticinia pronuntiat de everfione Jerusalem, captivitate Babylonicâ, ejusque liberatione, restitutione Templi, adventu Messæ, constitutione Ecclesiæ, & vocatione Gentilium ad fidem?

Omnium consensu, & jure quidem merito omnium Prophetarum eruditissimus habetur, ut juxta Prædi sententiam nihil magis impervium Propheticum textum tam longo temporis spatio reliquerit, quàm rerum mathematicarum & architecturæ tot sæculorum ignorantia. Grotius hanc de illo sententiam pronuntiat præf. in Comm. in Ezech. *Valuit eruditione, & ingenio, ita ut (seposito prophetiæ dono, quod incomparabile est) non immeritò Homero eum compares ob pulchras ennoias, comparationes illustres, magnam rerum multarum, præsertim architecturæ, cognitionem.* Potuit meo quidem judicio de illo usurpari, quod de Alcæo Quintilianus: *Alcæus in parte operis aureo plectro meritis donatur, quâ tyrannos instatur. Multum etiam moribus confert, in eloquendo quoque brevis, & magnificus,*

1 Hieron. in poemio Ezech. & Comm. in cap. 1. in cuius interpretatione omnes synagoga Judæorum muta sunt, ultra hominem esse dicentium & de hac re, & de adificatione templi aliquid velle conari. * Vide etiam Ezech. 46. 4. coll. cum Num. 28. 9. & Ezech. 46. 6. cum. 28. 11.

a Ezech. 1. 3.
b Pseudo-Epiphani. vita Prophetar.

c Ezech. 1. 1.
Et factum est in trigésimo anno. Plerique apud Hieron. in Ezech. cap. 1. ver. 1. & c. d Hieron. ibid. Cald. Theodor. Vat. Grot. alii plures. Vide 4. Reg. 22. 15.
e Ezech. 40. 1.

f Vide Vit. Prop. apud Epiph. & Benjamin. Tudel. Itiner. Se Au-Martyrol.

k Ezech. 17.

& diligens, plurimumque Homero similis. Juvat admirari, quantā spiritus praesentia Reges Tyri, & Aegypti Propheta alioquatur; quantā eloquentiae vi percellat Principem Juda, totamque demum Israelis populum, sive Idololatriam, sive effrenis licentiae reum. Similitudinibus, metaphoris, & figuris praeter ceteris Prophetis frequentior est; facile quod in Chaldaea agenti familiarissimo ejus gentis stilo utendum videretur (m). Hæc de ejus stilo Hieronymus Pref. in Ezech. Sermo ejus nec satis disertus, nec admodum rusticus, ex utroque mediè temperatus. Alii hos viro characteres assignant (n). Gravitas & vis huic propria.

Sunt qui autumaverint, apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. r. Nazaratum Assyrium Pythagoræ præceptorem, cum Ezechiele confundendum. Pythagoras Chaldaeam percurrerat, viros doctissimos ejus regionis invisitavit; quare convenisse Ezechielem, eumque præceptorem audisse, insigni sapientiæ famâ clarum, par fuit. Ita persuasum tenent quicumque cogunt Ezechielem Pythagoram autumant; nec alibi didicisse credunt Philosophum illum ea, quae de Moaisicis Legibus (o) norat, ac potissimum illud de Tetrachy (p), sive quaternario; nempe, ut ipsi quidem autumant, de nomine Jehova, quatuor Hebraicis literis constanti.

m Vide Basnage Hist. Jud. c. 16. a. 2. n Flury not. Mss. in Ezech. o Vide Hermypp. apud Josephum Lib. contra Appion. & Aristobul. Jud. apud Clement. Alex. l. r. Strom. & Euseb. l. 12. Trapar. Huel. de Demonstr. Evang. p Selden. Synagm. de Diis Syr. Godefrid. Vedelin. lib. de Pythagora Tetrachy.

Verùm S. Clementi Alexandrino alia sedet sententia, nunquam scilicet Pythagoram Ezechielem vidisse censens. Etenim si non prius Babylonem venit Pythagoras quam post confectam Cambysis in Aegyptum expeditionem, ut ex Jamblico in ejus vita constat; si pariter Pythagoras eodem tempore in Italia versabatur, quo Brutus Patrum à tyrannide Tarquinii relevavit, ut Cicero Tusculan. QQ. lib. 4. author est; vel si post quatuor à Numa generationes eò se contulit, ut Dionysius Halicarnasæus l. 2. est testatur; frustra planè Philosophus hic Prophetam nostrum audisse assereret. Namque anno à capta Jerosolyma 14. Ezechiel vigesimum muneris sui annum agebat; & Cambyses non nisi 50. annis post hunc annum 14. Aegyptum jure armorum subegit (q).

Legimus in vitis Prophetarum Pseudo-Dorothei, & Epiphani, plurimis clarissime Virum hunc in Chaldaea prodigiis; Tribus Dan, & Gad in Babylonia judicasse; simulque in illos Idololatriæ crimine reos, immixtis perdendis eorum filiis, & gregibus anguibus, animadvertisse; ac tandem in regione Spyrorum, sive facillè Saporum sepulturæ mandatum. Verùm tota eorum historia adeò malè sibi constat, ut nihil gravius quàm par fit, de illis censeamus, si totam fabellis & traditionibus populatibus infectam arbitremur.

q Vide Usser. ad A. M. 3480.

DISSERTATIO

AN DECEM TRIBUS E' CAPTIVITATE reduces Regionem Israeliticam repetierint?

Fatis functo Salomone, decem Tribus excusso domus David jugo, simulque avitâ religione desertâ, in crimen prolapsæ sunt; quanquam non ita multò post ipsæ vicissim à Domino derelictæ, manibus adversariorum permitterentur. Pressi namque Reges Israel à Damasceis, opem Assyriorum Regum implorare coacti sunt. Ita, verò illos defensores habuerunt, ut simul etiam tyrannos & oppressores nacti, tandem suis exspoliati omnibus, patriisque sedibus orbati in Transsephratæam transmigrarent. Primus horum malorum turbo excussus est in Tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manasse, quæ simul omnes trans amnem morabantur, & Tribum Neptali in superiori Galilæa, quas omnes ultor Teglatphalassar (a) gladius dispersit; dein in reliquis totumque Samariæ Regnum Salmanassar non dissimili supplicio animadvertit (b).

Post narratam hanc decem Tribuum calamitatem, Scriptura tota in Regni & Tribus Juda narrandis rebus occupata, utpo-

te quòd ex illis Messas expectaretur, nihil de rebus decem Tribuum curavit amplius. Frustrâ verò nos earum vestigia conquisimus per universas Orientis Provincias, eas maxime quòd translatas illas è lectione Libri Regum suspicabamur. Ubique occurrerunt quidem Israelitæ, nec tamen unquam invenisse contigit, quod maxime optabamus; nempe decem Tribus inter se distinctas, & distinctum Reipublicæ corpus constituentes. Restat, ut frustra alio conquiritur, in sua tandem ipsæ regione quaeratur, quod facillè nobis felix faustumque eveniet.

Prajudicatæ quidem opiniones vehementer nostris conatibus opponuntur. Id in adversam planè sententiam inclinasse Patres, & Interpretes ferè omnes ultro fatentur. Restitutas jure postliminii suis sedibus decem Tribus nullibi legimus expressum. Quo demum Authore, quo Duce, quo tempore, quâ occasione redeunt? Jussus à Deo Osee 1. 6. natum sibi filium, absque misericordia appellavit; quo nominis oraculo de futuris sibi eventibus Domus Ephraim instrueretur: Non addans

a 4. Reg. 17. 29. b 4. Reg. 22. 6. & 18. 10. 11.

ultra misereri Domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.

c Antiquit. lib. 10. c. 15.

d Vide etiam in Ezechiel. 27. p. 962. nov. Edit. e Vide Sanct. in Ose. Vat. alios.

Josephus, qui gentis suæ res florentissimas, quantum aliàs unquam post captivitatem, spectavit (c), testatur, decem Tribus regionem exilii sui tenentes adeò in Transsephratæis crevisse, ut in immensum penè aucta essent. S. Hieronymus in Osee 1. 6. disertè testatur: Decem Tribus usque hodie Persarum Regibus serviunt, & nunquam est eorum soluta captivitas (d). Ad stipulantur nostrorum Interpretum plerique (e).

His tamen omnibus opponimus loca Prophetarum, à quibus de reditu decem Tribuum apertum testimonium pronunciatum est. Idem Osee, qui cap. 1. nullam expectandam veniam Domui Ephraim edixit, idem, inquam, vers. 10. pollicetur: Et erit numerus Filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco, ubi dicitur eis: Non populus meus vos; dicitur eis: Filii Dei viventes. Et cap. 11. 10. 11. Deus furoris sui gladium in Domum Ephraim se minimè exerturum dicens, addit: Et avolabunt quasi avis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorum; & collocabo eos in domibus suis. Lege etiam de reditu è captivitate cap. 13. 14. 15. & 14. 2. 3. & c. ejusdem Prophete. Amos 9. 14. Et convertam captivitatem populi mei Israel, & edificabunt civitates desertas, & inhabitabunt. . . . & plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua, dicit Dominus Deus tuus. Abdias versu 18. 20. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, & succendetur in eis, & devorabunt eos. . . . & transmigratio exercitus hujus filiorum Israel possidebit omnia loca Chananaeorum usque ad Sareptam.

Isaias 11. 13. florentes Israelitarum res post captivitatem prosecutus, ait: Dominus levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel à quatuor plagis terræ, & auferetur zelus Ephraim, & hostes Juda peribunt: Ephraim non ambulabit Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim; i. e. in unum Reipublicæ corpus Israel universus colligetur.

Eadem insinuat Dominus, mandans Ezechieli super gemina ligna scribere, in altero quidem: Juda & Filiorum Israel sociorum ejus; in altero: Joseph & cunctæ domui Israel sociorumque ejus; ita verò inscripta jungere præcepit, addens: Faciam eas in lignum unum, & erunt unum in manu Domini (f). Addit Propheta cap. 16. 55. Samaria & filia ejus revertentur ad antiquitatem suam, & tu, (Juda) & filia tua revertentur ad antiquitatem vestram. Denunciat pariter, post deletum Gog solvendam captivitatem Jacob: Et miserabor, addit, omnis domus Israel. Tandem cap. 48. ut disertis reditu decem Tribuum exprimat, novis partitionibus Chananitidem distribuens, singulis duodecim Tribubus, quemadmodum olim à Josue factum, singulas portiones assignat.

Sed hæc obscuriora sunt præ Isaiâ, qui nempe de tempore agens post sublatum

f Ezechiel 37. 16. 19.

extremum adversarium populi sui, nempe Cambysen; Et erit, ait, in die illa, claudetur tubâ magnâ, & venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, & qui ejeti erant in terra Aegypti, & adorabunt Dominum in monte Sancto Jerusalem (g).

Gemina legas apud Jeremiam 31. 7. & c. Exultate in latitia Jacob, & hincite contra caput gentium, personate & canite, & dicit: Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terra. . . . Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Et cap. 3. 18. Ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris. Horum omnium oraculorum fides expleta est, cum Esdras (h), impetratâ à Rege Artaxerfe facultate regrediendi in Judgam, omnes Judæorum & Israelitarum simul & Sacerdotum reliquias collegit, ne incolis quidem montis Caspii neglectis.

Idem Jeremias cap. 16. 14. Dies veniunt, ait, & non dicitur ultra; Vivit Dominus, qui eduxit Filios Israel de terra Aegypti; sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejeti eos. Et cap. 49. 2. Dies veniunt, dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum, pralii, & erit in tumultum dissipata, & possidebit Israel possessores suos. Tandem cap. 50. 4. 10. 20. Venient, ait, Filii Israel, ipsi & filii Juda simul ambulantes, & stantes propeverunt, & Dominum Deum suum quarent. . . . Et reducam Israel ad habitaculum suum, & pascetur Carmelum & Basan, & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima ejus. In diebus illis quaretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis, quos reliquero.

Zacharias 9. 13. magnificis verbis redeunt Judam & Ephraim atque restitutam urbem Metropolitim prosequitur. Quoniam extendi mibi Judam, quasi arcum, & implevi Ephraim. Et. 10. 6. 10. Et confortabo Domum Juda, & domum Joseph salvabo; & convertam eos, quia miserabor eorum; & erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos. . . . Congregabo illos, quia redemi eos, & multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati.

Tobias vir, si quis alius, Propheta à Deo in captivitate excitatus, futurum pronunciat: Quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum (i). Et cap. 14. 6. Non excidit verbum Domini; & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam. Azarias filius Oded Propheta Domini, ita Asam Regem Israel ejusque exercitum omnem affatur (k): Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & Sacerdote doctore, & absque Lege. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, & quaesierint eum, reperient eum.

Michæas 2. 12. post prænunciatam decem

g Isai. 27. 12. 13.

h 1. Esdra 7. 28. Et confortatus manu Domini Dei mei, qua erat in me, ego congregavi de Israel Principes, qui ascenderant mecum. Et ibid. ver. 7. Et ascenderunt de filiis Israel, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Levitarum & c. Et cap. 8. 17. Et misi ad Eddo, qui est primus in Chasphbia loco, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri & c.

i Tobia 13. 12. 17.

k 2. Par. 15. 1. 2. 3. 4.